MISSALE DIOECESIS SALISBURGENSIS

Augsburg, um 1476

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8447
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

magne et cataracte celi aperte sunt. et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. In articulo diei illius ingressus est noe. sem cham et iaphet. filii eius et uxor eius. et uxores filiorum eius cum eis in archam. ipsi et omne animal secundum genus suum. universaque iumenta in genus suum: et omne quod movetur super terram in genere suo. cunctumque volatile secundum genus suum. Porro archa ferebatur super aquas. et aque prevaluerunt nimis super terram. operti sunt omnes montes ex abyssi sub universo celo. quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. Consummataque est omnis caro que movebatur super terram. volucrum animancium et bestiarum. omniumque reptilium que reptant super terram. Remansit autem noe solus. et qui cum eo erant in archa. obtinueruntque aque terras centum quinquaginta diebus. Recordatus autem dominus noe. cunctorumque animancium. et omnium iumentorum que erant cum eo in archa adduxit spiritum super terram. et imminute sunt aque. et clausi sunt fontes abyssi et cataracte. Et prohibite sunt pluvie de celo. et reverse sunt aque de terra euntes et redeuntes. Cumque transissent quadraginta dies. aperiens noe fenestram arche. dimisit corvum qui egrediebatur et non revertebatur donec siccarentur aque super terram. Emisitque columbam post eum. ut videret si iam cessassent aque. Que cum non invenisset ubi requiesceret pes eius reversa est ad eum in archam. aque enim erant super universam terram. Extenditque manum et apprehensam intulit in archam. Expectatis autem ultra septem diebus aliis. rursum dimisit columbam ex archa. At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olive virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo noe quod cessassent aque super terram. Locutus est autem dominus ad noe dicens. Egredere de archa tu et uxor tua. filii tui et uxores filiorum tuorum tecum. Et cuncta animancia que sunt apud te ex omni carne tam in volatilibus quam in bestiis. et universis reptilibus que reptant super terram educentur. et egredimini super terram. Crescite et multiplicamini super terram. Egressus est ergo noe et filii eius. uxor eius et uxores filiorum eius cum eo. Sed et omnia animancia et reptilia que reptant super terram secundum genus suum. de archa egressa sunt. Edificavit autem noe altare domino et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis obtulit ergo holocausta super altare. Odoratus est dominus odorem suavitatis.

Deus incommutabilis Oratio.